DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

DYSPEPSIA.

15

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

DYSPEPSIA.

AUCTORE GULIELMO FRASER.

PRAEFANDA.

VENTRICULUS, et cum eo caetera organa concoctionis, ad laesiones munerum suorum, quae maximi sunt momenti in oeconomia animali, vel morbis sibi peculiaribus idiopathicis, vel illis e consensu suo cum aliis partibus corporis humani, inde symptomaticis vocatis orientibus, proclivis est.

Dyspepsia ex una vel altera harum duarum causarum potest induci, et ex utraque pariter occurrit.

[1816]

De illa, nimirum DYSPEPSIA IDIOPATHICA, pauca ad historiam, causas, diagnosin, prognosin, et curationem pertinentia, dicam.

"Phoebe fave! novus ingreditur tua templa sacerdos." TIBULLUS.

Nosologi ante tempus venerandi et merito celeberrimi CULLENI, dyspepsiam ut speciem distinctam et e nulla alia pendentem morbi, in ordines suos nosologicos necne admitterent, haerebant, quod tantum aliorum morborum eam esse symptomaticam sibi persuaserunt, unde SAUVAGESIUS, LINNAEUS et SAGAR de ea non quidem dicunt.

VOGELIUS eam inter species numerosas sui generis Adynamiarum ponit.

Causam, sed non casus concurrentes praecipuos, quibus tam plene a CULLENO definitus est, memorat. Hoc pensum hujus ingenio alto et capaci perficere destinatum est; quod modo se digno implevit. "Anorexia," inquit, "nausea, "vomitus, inflatio, ructus, ruminatio, cardialgia, "gastrodynia, pauciora, saltem vel plura horum "simul concurrentia, plerumque cum alvo ad-"stricta, et sine alio vel ventriculi ipsius, vel "aliarum partium morbo."

Signa hìc recensita vel possunt vel non eodem tempore existere: etiam in eodem homine unum, duo, vel plura horum symptomatum uno tempore, vel alio morbi et non altero, absint. Interdum symptomata praecipua satis sunt constantia, nunc intervallum doloribus aegri permittunt.

HISTORIA.

Hic morbus raro ante pubertatem aggreditur; tunc diaeta magis regularis, tam stricte per primos annos quatuordecim vel quindecim vitae servata, deponitur, et alia generis magis mixti pro ea adhibetur, eodemque tempore mores vitae prorsus irregulariores fiunt.

Nec aetati nec corporis temperamento parcit.

Quod ad tempestatem anni pertinet, aliquanto frequentius aestate quam hieme saltem occurrit.

In zona torrida ac in aliis pariter occurrit. Fortasse tamen cum hypochondriasi conjuncta

in Britannia et Hibernia, quam in fere ulla alia parte orbis terrarum multo frequentius invadit.

Inter pubertatem et annum quadragesimum saepissime aggreditur, et posthac vel omnino cessat, vel cum hypochondriasi conjungitur. Aetate multo provectiore, quamvis rarius, tamen accidit.

E sexibus, viri suo impetui, ob foeminas regulariorem et parciorem modum vivendi degentes, sunt procliviores.

Temperamentum corporis partem ejus historiae non exiguam constituit; sanguineum fere semper ejus impetui, proximi phlegmaticum, et hoc multo frequentius quam aut melancholicum aut biliosum extat. In quibusdam temperamento sanguineo praeditis morbus est haereditarius, quum liberi talium parentum ejus impetui longe frequentissme sunt proclives.

Coelum, ut supra dictum, vel remorando vel promovendo ejus progressum, vim minimam habet. Pro longo tempore, absque ulla aggravatione ejus signorum manifesta apparente, existere potest. Gravis Iracundia, Studium intensum, Venus immodice culta, Vita ignava, sed,

prae omnibus, Intemperantia, cum plurimis aliis causis, huic morbo originem praebere dicuntur.

In quibusdam regionibus quam in aliis magis grassatur. In illis regionibus, in quibus liquores spirituosi et fermentati abundare inveniuntur, frequentius quam in aliis in quibus hi non suppeditantur, occurrit.

Dyspepsia est morbus qui nunquam in mortem desinere cognitus est: non tantum in scirrhum pylori vel cardiae, in hypochondriasin, sed etiam in melancholiam, et aliquando in maniam desinere eum constat. Rebus sic se habentibus, est medici ad historiam et progressum ejus operam dare.

Nexus qui inter dyspepsiam et hypochondriasin existere reperitur, non est perpetuus et constans.

Impetus diuturnus morbi magnam debilitatem corporis, pallorem faciei, pulsum debilem, et etiam syncopen saepe infert, denique *solida simplicia corporis* solvit. Dyspepticos maxime esse obnoxios hydropi perhibetur. Stadiis provectioribus morbi, febris hectica, cum ejus caterva signorum, simul cum sudoribus colliqua-

tivis, facillime occurrere potest. In his casibus pulsus est celer, aliquando tardus, sed semper debilis. Motus sanguinis est languidus, et superficies corporis sicca et rugosa evadit. Aliis temporibus facies tumescit et pallet vel flavet, ut cadaveri. Interdum antequam haec signa occurrunt, palpitatio cordis sentitur, et non raro vehemens spirandi difficultas urget. Interdum caput afficitur, et ingens dolor in partibus ejus diversis adest.

Hi dolores capitis occurrentes, punctum parvum, quod apice pollicis facile obtegatur, tantum afficiunt; aliquando punctum dolens in aciem superciliarem; quo accidente, suffusio oculorum et vertigo saepissime comitantur. Nomina diversa his inaequalibus doloribus e situ, ut cephalalgia, hemicrania, migram vel megrim et crotophos, imposita sunt.

Vertigo, tinnitus aurium et suffusio capitis, quibus visus obtusus accedit, non raro eveniunt; os praeter consuetudinem est siccum, e statu languido cordis et arteriarum, qui non solum deficientem fluxum salivae in os, sed etiam superficiem corporis ex fluxu minus copioso materiae perspirabilis, siccam reddit.

Malus sapor oris quoque adest; lingua est foeda et onerata; alvus quoque est adstricta. Interdum diarrhoea sponte ingruit, quae est symptomatibus maxime saevientibus levamini, et in nonnullis casibus morbum pro tempore abstulit. Diarrhoea nimis copiosa, quod conditionem torpidam alvi efficit, tamen est cavenda.

Alvi pigritia ejus fluxum facile sequi potest, et has conditiones duas alvi invicem sibi accessisse saepe notum est. Non absurdum sit memorare mala, quorum dyspepsia fit affectus symptomaticus.

In calculis renum, ischuria, graviditate, menorrhagia, amenorrhoea et leucorrhoea, frequenter symptomatica invenitur, ut et in scirrho pylori et jecinoris duro.

Scirrhus pylori ventriculi ortum dat accessionibus violentis dyspepsiae, quas vomitus humoris nigri multum referentis colorem et spissitatem sedimenti coffaeae comitatur; aeger fit macer, et succumbit febri hecticae. Si moles tumoris sit ingens, scrutatione cauta sub cartilagine ensiformi percipi potest.

Professor noster jure aestimandus, Grego-

RIUS, se vidisse tumorem scirrhosum ex ventriculo hominis mortui molis aequalis ejus duorum pugnorum conjunctorum extractum memorat, qui pendebat ex una ad duas libras.

Alii morbi memorandi in quibus dyspepsia est symptomatica sunt; haemorrhois, asthma, phthisis pulmonalis, caeterique affectus pulmonum, et podagra.

Hoc ostendit arctum nexum qui inter ventriculum et quodque aliud organon corporis existit; adeo ut in fere omni casu, quo morbus accidit in corpore, ventriculus primo vel ultimo mali fiat particeps.

DE SIGNIS.

CULLENUS in ejus definitione dyspepsiae brevem historiam ejus progressus et impetuum tradit. Sed haec signa recensita in definitione ejus, inter sese quod ad tempus durationis pertinet, quam in praesentia unius et absentia alius non magis differunt.

Raro accidit, (si unquam dubitari potest), ut omnia horum in eodem homine, uno eodemque tempore occurrant: temperamentum, ratio vivendi, natura et qualitas ciborum, et prae omnibus status ventriculi, differentiam egregiam in fere omni homine et eodem temporibus diversis efficiunt. Primum indicium, cui CULLENUS attentionem nostram dirigit, est,

Anorexia.—Cum hoc accidit, aeger quantitatem suam solitam cibi in ventriculum sumere fastidit: morbo progrediente, fastidium alicujus sibi sub forma alimenti oblati sentit; in quibusdam hoc usque ad nauseam ipsam tendit; aliquid inertiae et fastidii ullum solitum lusum captandi cum eo saepissime conjungitur. Interdum dolor capitis, sed non semper comitatur. Contra, quidam dyspepsia graviter vexati, minimum incommodum ex anorexia nunquam experiuntur, sed contrario appetitu insolito bono fruuntur.

Anorexia atoniam fibrarum motricium et vasorum ventriculi indicat.

Nausea et *Vomitus*, dyspepsia valente, frequenter occurrunt. Similiter nonnullis ex aliis indi-

ciorum, quidam sunt procliviores ad unum vel alterum, vel utrumque, quam alii.

Vomitus in fere omni stadio dyspepsiae occurrit, et magis minusve saevit ratione habita vel status ventriculi ipsius, qualitatis et fortasse quantitatis ingestorum, quae in hoc casu cruditate, acore vel putredine inductis offensionem efficiant. Interdum quidem illis in ventriculum sumptis rejectis, hac vi salutari naturae diutius quam in sano statu hujus organi retinentur; quo facto, cruda indigesta materia in ventriculo volvens sentitur, multo molestiae et sensus oppressionis praecordiorum inducto. Quo diutius vel brevius hoc durat, eo major vel minor fermentatio superveniet. Si materies cruda e terra natis derivatur, fermentationem acetosam subit, quae cardialgiam et ejectionem vel vomitum humoris acris, et aliquando singultum inducit. Si contra sit substantia animalis quae fermentescit, putridae eructationi acidi oleosi fluidi, quod in ignem dejectum facile ardet, originem praebet; eodem tempore aliquid aëris putridi vel mephitici ructu ejicitur. Interdum aër deorsum emittitur, quo facto, alvus mul-

tum distenta levamen statim experitur. Interdum humor emissus ructu est amarus, qui praesentiae bilis, quam continet, tribuitur.

Gastrodynia est molestum et torquens genus doloris, sensu ardoris circa ventriculum stipati. Plerumque dapibus lautis prioris noctis accedit, praesertim si ventriculus nisum insolitum in se exinaniendo exercuit; vel e defectu debiti stimuli ad tunicas internas ventriculi, quem emissio omnium contentorum induxerit, vel e contractione violenta et rigida ejus fibrarum musculosarum, post vim immodice distendentem admotam, oriri videtur.

Gastrodynia affinis est affectio spastica ventriculi dicta Anglice *cramp*. Haec manifesta est affectio spasmodica, et ex iisdem causis quibus gastrodynia oriri potest. Utraque ab antispasmodicis et sedantibus levatur et removetur.

In carcinomate et schirro ullius partis ventriculi dolor pungens et lancinans in situ partis morbosae sentitur. Sed ex gastrodynia in gradu et diuturnitate ejus accessionis differt, et prae omnibus vomitione nigra quae comitatur. Alvus saepe est torpida ex emissione abnormi

bilis, ex quo morbus, ab irritatione inducta depositione induratorum stercorum, multum ingravescit.

Ex chylo non regulariter formato, nutrimentum idoneum ad sustinendum corpus necessarium deficit; hinc caro marcet, vires et spiritus deprimuntur, et multum irritabilitatis corporis et animi sequitur; hinc hypochondriasis, et cohors molesta signorum inducitur.

Attentio sedula ut alvus regulariter vacuefiat a medico, qui in omni casu hoc ut prorsus necessarium praescribere debit, est adhibenda.

CAUSAE.

Nosologus noster venerandus res duas, ut causam proximam dyspepsiae agentes, memorat.

Primo, Succum ventriculi proprium vitiatum aut parciorem.

Secundo, Aliquid imbecillitatis, jacturae toni, et actionis debilioris fibrarum musculosarum ventriculi.

Prima originem suam secundae debere videtur. Hoc CULLENUS bene perspexisse videtur.

Causae remotae sunt plurimae, et in multis casibus ad ullam originem difficulter sunt relegandae. In duas classes CULLENUS eas dividit.

Primo ; illas quae proxime in ventriculum ipsum agunt.

Secundo ; illas quae totum corpus, vel partes particulares ejus ventriculum turbantes, afficiunt.

Ex omnibus causis recensitis ut dyspepsiam inducentibus, nulla eam inducere saepius quam usus immodicus theae, coffaeae, nicotianae, liquorum ardentium, opii, frequentium crapularum et vomitus, tendit.

Conspectus brevis singularum, non, est sperandum, inidoneus putabitur.

Thea et *coffea* in ventriculum eorum qui immodicam quantitatem utriusque hauriuntur, eodem modo ac calidi et diluti liquores, generaliter agunt. Primo, distendendo ventriculum : Secundo, relaxando et debilitando ejus fibras musculosas. Hic effectus diluentium calidorum generatim, a nonnullis negatur. E quacun-

que causa oriatur, illos, quibus mos est bibendi largas potiones infusi theae, gravibus accessionibus dyspepsiae affici, constat. Illi qui huic excessui indulgent plerumque inter plebem inveniuntur. Doctor THOMAS SMITH in definitione sua " *de actione musculari,* " infusum theae viridis sensibilitati nervorum et irritabilitati fibrarum musculosarum animalium obesse dicit.

Nicotiana.—Usus hujus, an forma pulveris, vel manducata, aut usta, constitutioni est detrimento, et dyspepsiam excitat. Primo dolorem capitis, vertiginem, somnolentiam et statum torporis, cum omnibus his symptomatibus quae, ebrietate manente, plerumque existere reperiuntur; qualia sunt dolor ventriculi, nausea violenta et vomitus; his effectibus impetus dyspepsiae accedit.

Liquores distilati et fermentati.—Ex omnibus causis, quae serius ociusve dyspepsiam inferunt, nullae effectus magis perniciosos quam abusus liquorum fortium, vel in statu fermentato, spirituoso vel vinoso, edunt. Longe major pars humani generis salutem suam usu liquorum ardentium corrumpit. Signa quae ebrietatem plerumque comitantur nimis sunt cognita, quin hic

ea describere opus sit. Ingens debilitas totius corporis, cum tremore magis minusve intenso, et depressione generali omnium munerum mentis sequuntur. In nullo casu generis humani depravatio quam per ebrietatem magis patet. Si non esset abusus liquorum spirituosorum, dimidiam partem illorum malorum quae nunc constituunt suum catalogum morborum nosologus delere posset.

Opium est aliud narcoticum, et omnium vehementissimum. Eosdem effectus in corpus humanum, qui ex abusu liquorum fortium oriuntur, inducit. Ab usu intempestivo, ex optimo remedio venenum infestissimum evadit. In largis dosibus adhibitum torporem totius corporis, et praesertim ventriculi et aliorum instrumentorum concoquendi, unde concoctio vel imperfecte perficitur, vel prorsus cessat, inducit.

Satietas vel nimia ingurgitatio.—Actio ventriculi tantum stimulo magnae distensionis, quantum defectu incitationis ex contractione continua debilitetur. Quantitas cibi igitur in ven-

triculum sumpti, quod ad qualitatem pertinet, plurimum refert.

Ventriculo debilitato vel inanitione, repletione, vel aliis causis, actio ejus corrumpi observatur.

In sano statu ventriculi et organorum concoctionis, fluxus succi gastrici aliorumque humorum qui concoctioni inserviunt, copiae cibi sumpti rationem habet. Sed nimia quantitate cibi sumpta in ventriculum, distensio inde effecta est tanta, e fibrae musculosae adeo intenduntur, vel non omnino fluit, vel si hoc fit, tam parce secernitur, ut in massam accumulatam ciborum in ventriculo sumptorum agere non pollet, et ideo quantitas idonea ad prohibendam fermentationem non suppeditatur.

Nimis parca diaeta pariter est evitanda.

Ab experimentis a Spallanzani et Dumas institutis, animalibus diu privatis cibo succum gastricum non generari patet.

Cibus quem ventriculus difficulter concoquit a dyspepticis prorsus est evitandus. Plurimi cibi hic includuntur, sed caseus, butyrum, et omnes substantiae oleosae et crustum pistum

omnium generum, caro fumata, fruges crudae vel semicoctae, sunt frequentissimi.

Vomitus vel arte vel sponte excitatus fibras motrices ventriculi debilitat, et igitur est sedulo cavendus.

Secunda classis remotarum causarum complectitur illas, quae in corpus vel partes vel functiones ejus particulares agunt. Sub hoc capite sequentia enumerantur: Ignavia, Motus animi vexantes et abnormes, Studium intensum, Venus immodica, et Atmosphaeria humida et frigida, et caetera.

Ignavia.—Plerique sic degentes dyspepsia semper cruciantur. In his, ex habitu ignavo vitae, defectu exercitationis idoneae corporis, qui motu humorum circumeuntium in corpore non probe effecto, functiones animales et vitales corrumpit. Sanguis inter transeundum per pulmones imperfecte reficitur, secernenda et excernenda parce effluunt, unde alvus tarda, cibi fastidium, generalis languor, et ructus acidi. Facies pallescit, labris color ruber perit, et mens magis vel minus metu inani turbatur. Sic morbus in stadiis suis provectioribus

formam hypochondriasis induit, quocum et melancholia conjungitur.

Motus animi turbare ventriculum et organa concoctioni inservientia, et sic dyspepsiam inducere, cuique est familiare ; sed quomodo hoc fit conjectura sola nititur. Iram, metum, luctum et anxietatem diversas functiones concoctionis impedire, quotidie apparet. Alicui cibo accumbenti, exempli gratia, appetitu satis bono, quaedam infausta suis amicis incidisse, fertur, appetitum et desiderium ullius generis cibi statim amittit. Hinc illi profundo affecti luctu, moerore aliisque motibus animi deprimentibus, magnam depressionem, flatum et putredinem experiuntur.

Studium literarum.—Plurimi ex sapientibus hodiernis, multas horas indies silentio et studiis intensis tribuunt. Gravibus signis dyspepsiae, qualia sunt fastidium cibi, ructus alicujus liquidi, saepe laborantes reperiuntur, et hypochondriasis haud infrequenter cum ea conjuncta apparet. Quod natura hominem actioni fecit, functiones et corporis et animi illi consilio aptas ei donavit, adeo ut ex his probe exercitis salus oriatur.

Venus immodica.—Concubitus vero neque nimis concupiscendus, " neque nimis pertimescendus est." " Rarus corpus excitat, frequens solvit." Inquit Celsus.

Languor, dolor capitis, vertigo, et lassitudo universa, corpus debilitatem ostendunt; dum torpor et functiones animi turbatae, praesertim memoria, affectum in mentem denotant.

Aër humidus et frigidus.—De effectu aëris humidi et frigidi inter homines satis convenit. Aër frigidus, et praesertim humidus admotus, perspirationi maxime obest. Sudore impedito in quibusdam, dyspepsiae per hiemem quam per aestatem procliviores fiunt.

DIAGNOSIS.

Duo morbi sunt, qui quod ad signa eorum pertinet, dyspepsiam multum referunt; et ab hac attentione sedula tantum dignosci possunt. Hi sunt Pyrosis et Hypochondriasis. Ex hypochondriasi dyspepsia in quibusdam casibus

non sine difficultate dignoscitur. Haec existere potest, et quidem nulla affectione animi ab ea inducta, adest: hypochondriasis, contra, nisi viribus mentis magis vel minus turbatis, nunquam fit. Dyspepsia plerumque est morbus juvenili aetati peculiaris: hypochondriasis in aetate provecto saepissime observatur. Dyspepsia illos temperamenti sanguinei frequentissime; hypochondriasis melancholici et biliosi vexat. In illa, mens est languida et timida; in hac, moerore et pigritia afficitur, et metu mali vexatur.

CURATIO.

Priusquam medicus medelam ingreditur dyspepsiae, ad omnes illas res (quae ex aegro ipso vel ejus amicis disci possunt) cum historia et progressu morbi connexas, et prae omnibus, ad mores et modum vivendi aegri, est respiciendum. Perfectam scientiam horum debet esse medici obtinere, nam absque hac conatus ad superandum morbum nunquam fausti evadent, utcunque magna sit peritia et valida remedia qui-

bus utitur. Fortasse curatio hujus morbi magis hac re quam illa cujuslibet alius morbi nititur, quum diaetam et regimen idoneum praestare omnibus remediis praescriptis, ab experientia probatur.

Aggredientibus medelam dyspepsiae *tria consilia* sese offerunt.

Primo, Amovere remotas causas, quo non effecto dyspepsiam nunquam possumus curare.

Secundo, Obstare vel removere illa signa, quae morbum graviorem vel diuturniorem reddunt.

Tertio, Roborare tonum ventriculi.

Ad prius consilium implendum, causis remotis existentibus, nullam curationem posse effici, patet. Itaque, imprimis, opera est danda, ut has amoveamus, quod ex hoc successus noster in fugando morbum in posterum pendet. Renunciare voluptati est difficile ; et consuetudinem infringere fere non est humanum. Sed nisi hoc fiat, dyspepsia non sanari potest. In illis dyspepticis in quibus proclivitas ad morbum, vel haereditaria vel ex temperamento corporis peculiari oriens adest, indicia urgentia levare et minuere tantum est penes medicinam. Attentio

sedula adhibenda ad statum alvi, servando eam regularem, et nunquam sinendo eam sordibus adeo onerari ut irritatio cum ventriculo communicetur, ut saepe fit.

Evacuatio alvi non minus potest praescribi; nam in talibus constitutionibus, quamvis diaeta regularis et ratio vivendi parca serventur, tamen anorexia, ructus et cardialgia ex nulla alia causa, nisi conditione alvi neglecta, oriuntur. In occurrendo et corrigendo notis urgentibus, talia medicamina sunt eligenda, qualia aegro maxime conveniant.

Generatim infusum tamarindi cum senna, sex vel septem drachmis phosphatis sodae additis, satis convenit. Pilulae ex pulvere jalapae et extracto cassiae sennae confectae, vel pilulae aloëticae compositae, in numero trium vel quatuor, vel ut res se habeant, exhibitae, prodesse invenientur. Cum multum flatus dejectionem comitatur, pilulae aloës et assafoetida, prorsus removendo gravia signa, plurimum valuerunt. In nonnullis casibus in quibus haec symptomata occurrunt, adhibendo tres vel quatuor scrupulos pulveris magnesiae et palmati rhei, et quan-

tum aquae menthae piperitae sufficiat efficere ut retineatur in ventriculo, multum auxilium ortum est. Simul cum his medicaminibus, talis victus adhibeatur, qualem convenire ventriculo experientia testavit. Repletio vel distentio ventriculi in aliquo modo sedula cura est evitanda.

Secundum consilium usum medicaminum quoque postulat. Ad removendas has causas, quae morbum augent, ad tria genera signorum oportet attendere.

Primo, Levare et removere e ventriculo cruditates quae in eo adesse videantur.

Secundo, Corrigere aciditatem praesertim, et

Tertio, Obstare alvi tarditati.

Materia cruda et foetida vel sursum vel deorsum debet expelli. Vomitus ad illud, et purgantia ad hoc efficiendum, tentata sunt.

Vomitus a quibusdam medicis, sed principiis minime sanis, quum singulae actiones inordinatae fibrarum musculosarum ventriculi necessario morbum augebunt, quem oportet tollere, admotus est. Vomitus in fere omni casu dyspepsiae, utpote remedium laedens et saltem anceps, est evitandus. In illis casibus, quibus su-

pradistentio ventriculi ex repletione accidit, vomitus est remedium utile et prorsus necessarium. Tantum abest igitur quin removere crudem materiam vomendo conemur, expulsio ejus purgantibus est tentanda. Illa purgantia, quae sunt naturae blandae, eodemque tempore agentis oportet seligere. Inter haec jalapa locum praecipuum habet. Motum peristalticum intestinorum adhibita in parvis dosibus excitat, et stercus, quod semper est aegro levamini, expellit. Dosis jalapae secundum conditionem ventriculi ratio est observanda. In magnis dosibus adhibita vomitum facillime excitat, quem, ut jam dictum est, oportet nos cavere. Aloë est admovenda, et jalapae, quod sit mitior, et vis purgans ejus usque ad rectum descendit, praestat.

Rheum palmatum locum proximum tenet, vel cum magnesia, ut supra dictum, conjunctum, vel in forma pilularum rhei compositarum, datum. Pulvis palmati rhei cum pulvere aromatico vel pulvere zingiberi commisceatur.

Acor est corrigendus antacidis adhibitis. Alkalina plerumque admota sunt. Carbonas potassae, vel supercarbonas potassae, quae ammoniae

et aquae calcis praestat, quod supercarbonas potassae est medicamentum jucundius ventriculo quam carbonas potassae, unciae quinque vel sex ejus subinde admoveantur.

Ammoniae vel in forma carbonatis, vel solutionis aquae ammoniae volatilis, alcohol ammoniatum aromaticum in fere omni casu est anteferendum. Quinque vel quindecim guttae in cyatho aquae fontanae mala acore nata plerumque levant.

Aqua calcis ad corrigendum acorem et restituendum tonum ventriculi praescripta est.

Carbonas calcis et magnesia ex terris maxime conceduntur. Vim et firmitatem ventriculo praebere existimantur.

Pulvis carbonatis calcis compositus praeparatio est optima, et formulam jucundiorem ventriculo efficit.

Unum incommodum hanc varietatem absorbentium, nimirum quod constringere alvum, in quod sedulo est cavendum, tendunt, comitatur.

Magnesia, contra, modo prorsus contrario agit; dum aciditatem corrigit, cum acidis salem

medium, qui laxat canalem intestinorum, format.

Carbonas ferri in quibusdam casibus laudatur. Attentio ad victum sedulo est tribuenda.

Illi ad cibi fermentationem acidam proclives debent evitare fruges crudae et male coctae, panis non fermentatus, omnis generis cibus difficilis concoctu: Acida naturalia plantarum hic includuntur. Evacuationes regulares per alvum purgationibus repletis, per longa vel brevia intervalla inter singulas repetitiones cathartici datis, semper sunt praeferendae.

Submurias hydrargyri, consilio expellendi atram bilem ex intestinis, praeceptus est: sed haec nigra bilis in corpore humano non existit, nimirum quod veteres eam esse putabant, tantum fuit sanguis cum contentis faeculentis vel muco intestinorum mistus.

Nullae praeparationum hydrargyri, quum omnia caetera cathartica praestant, sunt praescribendae.

Tertium consilium est restituere robur ventriculi. Plurima medicamina, ob vires suas in hac

re laudata, sed pauca vel nulla vix laudationes sibi collatas merentur.

Amara et aromatica sua vice, sed maxime immerito, elata sunt.

Tincturae fere semper evitandae sunt, aliquando tamen levamen pro tempore opitulantur. Sed diuturna exhibitio ad eventum valde infaustum ducunt. Rebus valde postulantibus, tinctura gentiana composita, vel tinctura colombo, vel tinctura rhei et gentianae, ex plurimis ut commodissimae possunt seligi.

Leniter stimulant, et saepe flatulentiae et debilitati ventriculi occurrunt.

In gastrodynia et affectione spastica ventriculi sunt utiles.

Amara astringentibus juncta, singulis per se inefficacibus, multum profuerunt. Utraque qualitas cinchona inesse videtur. Concreta, in forma infusi, decocti et extracti administrata est.

Utraque forma adhiberi potest, sed ea quae maxime convenit ventriculo est praeferenda. Quamvis utilis in nonnullis casibus, pariter ac alia remedia in curatione dyspepsiae elusit.

Cyathus infusi anthemidis nobilis quotidie mane, ventriculo jejuno datus est. Nec ea neque ullum aliud amarum est diu utendum.

Praeparata ex ferro in curando hunc morbum suam laudem adepta sunt, et cum majore fructu quam fortasse ullum aliud genus medicaminum ad curandum dyspepsiam admotum. Haec in firmando et roborando singula solida relaxata et debilitata sunt utilia. Motum fluidorum languidum firmant et celerant. In parvis dosibus repetitis, et paulatim auctis, optime respondent. Efficacissimus generis est sulphas ferri. In largis dosibus exhibitum nauseam et turbationem ventriculi inducit. Unum granum sulphatis ferri, tria extracti cinchonae, utilissima invenientur. Tinctura muriatis ferri, cum ventriculus non multum irritatione laborat, recte datur. Una pars tincturae cum tribus vel quatuor partibus tincturae aromaticae in cyatho aquae haustum, utpote chalybeas, quod ad vires pertinet, a fontibus maxime celebratis mineralibus haud superandum, constituit.

Praeparationes zinci cum variis historiis successus alio tempore, et inefficaciae alio, recenter

introductae sunt. Et oxidum et sulphas zinci adhibita sunt. Oxidum cum amaris et anti-spasmodicis, ut valeriana, conjunctum, admotum est.

Oxydo bismuthi quoque suae laudes non desunt, sed experimenta de eo adhuc facta ad stabiliendum ejus famam non sufficiunt.

Praeparata ex aliis metallis in curando dyspepsiam quoque famam adepta sunt. Qualia sunt arsenicum et argentum (nitras argenti.)

Exercitatio minime est omittenda, et in singulis casibus ad vires et constitutionem aegri semper est accommodanda.

Exercitatio, praeparata ex ferro, et *regimen idoneum servatum,* sunt tres magnae methodi, quae a medico solerte admotae, ciere ventriculum ad robur sanum et actionem salutarem, nunquam frustra exercentur.

Frigus superficiei corporis admotum universum corpus roborandi vim habet. Remedia tonica praestantissima in nonnullis casibus superat. Frigus corpori plurimis modis admovetur : lapsus aquae, vel immersio generalis cor-

poris in flumine aquae frigidae, omni alio modo hactenus exercito praestat.

Loci ad quos dyspeptici ob aquas minerales confugiunt sunt Peterhead, Scarborough et Tunbridge.

FINIS.